

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Siegmund Jacob Apin

**M. Sigismvndi Iacobi Apini Dissertatio De Loricis Linteis Vetervm Et Novo  
Loricarvm Invento : Variis Notis Et Figvris Aeneis Avcta**

Altorfii: Typis Iod. Gvil. Kohlesii, MDCCXIX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691805300>

Druck Freier  Zugang





~~Lxxii. 5. folio.~~

71. 5.

Re-644(37)

~~Ri~~  
1714-70.

- Tiff. historia Germanica.
1. Treuer anastasis veteris Germani.
  2. Nencklen de P. circa testimonia historicorum.
  3. Tornneijer de Germania nungvam a Romanis subacta.
  4. Cellarius de bellis Iuli Caesaris aduersus Atriovistum.
  5. --- de Claudio Drusi expeditonibus.
  6. Apianus de loricis luctibus veterum.
  7. Halliyachus post. de Lothario I.
  8. Krause de vita diplomatica Conradi I.
  9. Speker de Ottolismo.
  10. Möller pro aroutz - Lassotou.
  11. Erath de ficta Henrici superbi Superbia.
  12. Struva facta principum Brandenb. Heroica.
  13. Fytillus de Gunthero Schwartburgio
  14. Dowglandi Edwardus Bavarus.
  15. Hiltscher de Frider. III Ducis Saxon. numis I. H. S. Maria
  16. Cyprianus de Maximi. I. pontificatus sumnum ambeale.
  17. Maximilianus Bonifacius de Don Czaaren margez tit: Langfor.
  18. Piracy de Gravaminibus nation: Germ. Voriberg.
  19. Weber de Veritat. somni Friderici sapientis.
  20. Treuer de Characterie animi Lutheri.
  21. Koeler de Frider. V. Ep. Palatino affectante regnum Bohem.
  22. Weber de rebus sub Mathia Cas. in Europa gestis
  23. <sup>Ferdin: II</sup> Koeler de Tokylcana Calixtinorum in Bohem. pontifice.
  24. Mayer de morte Caroli V. Evangelico
  25. Wessendorff de Henrico Re Saxon: dilece.
  26. Krause de Bucivjo epusque patria. dip. 2da. fol. 2. 36 h.
  27. Kortholt Utrum Zoticus tosifionem chaqued. praeixerit.
  28. Ropus de Austria domus Otig. emperatric.
  29. Hoffman Stemma Babenbergico-Austriacum.
  30. Speker formulam Lusatiae cum Historia conjunctionem
  31. Ayman ad Connubia principis Saxon. cum Imperatoris filia
  32. Thodelus de glorijs Tornaci expugnationale
  33. Hon. dcr. Officij in Dadebusth 1712.

2 JPS

- 35 von Leuteraul Lattens Gedencion  
36 Krause de Burgois diff 1.  
37 Chenu de Uta Patrocli susatensum patroni  
38 Neutrian Moz Dorf. Lauft  
39 Eckhardtii Vita Alberti Staderus  
40 Leyfer de Lintonum absolitione  
41 Sagittary historia Norberge  
42 Schurtzleip nos Intrebock  
43 Stras nos pferz laffelz  
44 Demouritz nos Guldunz bilitz el Gorn.  
45 Koch de spiris pistorijs  
46 Stras de parta supposito illustrium foeminarum  
47 Stubner de Burggraf Norberga diff 11da.  
48) Estor de Statu et Org. Tandgr. Staffel

17

M. SIGISMUNDI IACOBI APINI  
DISSERTATIO  
*DE*  
**LORICIS LINTEIS**  
**VETERVM**  
ET  
**NOVO LORICARVM**  
**INVENTO**  
VARIIS NOTIS ET FIGVRIS AENEIS  
AVCTA.



---


ALTORFII  
TYRIS IOD. GUIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.  
A. O. R. c10 10CC XIX.


M. SIGISMUNDI IACOBI ARIENS  
DISSESTITATIO

LORICIS LINTEIS  
VETERUM  
ET  
NOVO LORICARVM  
INVENTI  
VARIS NOTIS ET HISTORIAS VENIES  
ACTA.



XII. TOTI  
TYPUS IOD. GEL. KOMPL. AED. TEGD.  
V. O. R. CLOCCOC XIX.







## ΣΥΝΟΨΙΣ.

- §. I. Exponitur loricarum Etymologia.
- II. Synonymia.
- III. Homonymia.
- IV. Definitio generalis.
- V. Inquiritur in Inventorem.
- VI. Differentia loricarum ostenditur.
- VII ad XII. Loca evolvuntur, quibus loricarum linteum mentio facta.
- XIII. Eruditorum opinione recensentur de nominatis loticis linteis, & ad tres classes revocantur, quarum I,
- XIV. secunda,
- XV. tertia proponitur.
- XVI. Via præparatur ad Partem Critico-Physicam.
- XVII. Quænam fuerit loricarum linteum materia?
- XVIII. Quæ ratio conficiendi eas?
- XIX ad XXIII. Eruditorum opinione expendit.
- XXIV. An insignem usum in bellis habuerint?
- XXV. Annon nostro ævo uti ea possimus?
- XXVI. Novum loricarum Inventum proponitur.
- XXVII & XXVIII. Exemplis & rationibus confirmatur.
- XXIX. Toti tractationi finis imponitur.



## §. I.

I quoddam reperitur insignioris efficiaciam præsidium, quo ars militaris ad muniendum & defendendum corpus utitur, profecto illud dici meritetur LORICA, cui veterani Martis filii magno prolixoque affectu plauerunt. Derivatur lorica a loris, e quibus initio facta est: ita enim VARRO de Lat. Ling. L. IV: *Lorica a loris, quod de corio crudo pectoralia faciebant. Postea succederunt Galli e ferro, sub id vocabulum ex annulis ferream tunicam.* Probat hoc etymon LIPSIVS L. III. de Re Milit. Rom. Dial. VI. MATTH. MARTINIVS in Lexico Philolog. sub h. v.

## §. II.

*Gracis Lorica* dicitur ράπις, θώραξ, καρδίφυλαξ: unde VARRO recte vertit: *Pectoralia*; & SVETONIVS in vita Augusti, *Thoraces*. Germani diversimode loquuntur: valde enim familiaris illis est vox Panzer/ licet minus recte, quia hæc vox non continuam ferri laminam proprie notat, sed eam loricam, quæ ex catenulis inter se connexis constabat, quamque hodierno die Polonorum militia equestris adhuc gerit, & paludamentum audit antiquis scriptoribus, vid. MARTINIVS l. c. sub h. v. Arma vero contra hoc pallium

pallium bellicum dicebantur *Veruta*, *Panzerstecher*/  
*Wurffspießlein*. Interim tamen hæc vox Germanorum  
 optime exprimit Græcorum *θιέγνα*, & Latino-  
 rum *pectorale*. a) Panz enim majoribus nostris idem  
 erat, quod hodie nobis *Banst* seu *venter*: unde *Pan-  
 zer*/ut & Belgorum *Panz-yser* a tegumento pectoris  
 levi inflexione factum opinamur. Nec infrequenter  
 usurparunt vocem *Krebs*/ prouti LVTHERVVS fecit  
 Sap. X, 19. I. Thess. V, 8. ob similitudinem, quam ha-  
 bet lorica cum cancri vel cauda vel majori testa, dor-  
 sum animalis obtegente. Fuisse siquidem veteribus  
 thoraces caudam cancri referentes, & alios ad for-  
 mam testæ fabricatos, probat DVRRIVS in Dissert.  
 cit. p. 13. Et licet aliæ versiones, v. g. *Moguntina ve-  
 tustior*, & recusa Norimbergæ *Coloniensis*, *Vlenbergii*,  
 ut & *Vinarienses* in bibliis Ernestinis, plenius ad ca-  
 ptum vulgarem loquantur, *τὸν θιέγνα* nominantes den.  
*Panzer*; convenientissime tamen, meo quidem ju-  
 dicio, ad stylum modernum vocatur *ein Brust-Har-  
 nisch*/

A 3

a) Teste POLYBIO Libr. VI. antiquis *Pectorale* erat ærea lamina  
 simplex, quam pectori apponebant tantum, nudato dorso. Alii  
 vero duas æreas laminas majores, fibulis ad latera conjunctas, to-  
 tum pectus & dorsum obtegentes gesserunt, unde nomen *θιέγ-  
 νος σαδίς* sive *σατρῆ*, quod solidæ essent & starent sine inflexione,  
 fortitæ sunt. Vid. Dissert. IOH. FRID. DVRRII de Veterum armis  
 bellicis, quorum Paulus meminit Eph. VI. p. 14. §. VI.

6  
nisch) Kūraß : qua voce audita , statim animi nostri sensus aliis innotescunt , nec ipsa hæc denominatio obscuri quid involvit.

## §. III.

Varias etiam vocabuli significaciones recensere instituti ratio requireret , sed brevioribus nobis esse licuerit , quod eas Vir in his rebus tradendis diligentissimus I. LIPSIVS magna cura concessit Poliocret. Dial. II. T. III. Opp. edit. Vesal. p. 513 — 521. multisque testimoniosis confirmavit , quod non solum pro *tegmine pectoris militari* , sed etiam frequentissime pro *tegmine aliarum rerum* aut *inductione metaphorice accipi soleat*.

## §. IV.

His præmissis , damus generalem Loricæ definitionem , quod sit *indumentum corporis contra varias lethiferas aggressiones illud muniens* , & ex varia materia constans.

## §. V.

Tradita nunc loricæ , cujuscunque etiam fuerit materiæ , *definitione generali* , magnam toti tractationi nostræ dabit lucem , quædam de *inventore & differentia loricarum* proprie sic dictarum monuisse. Sed dolendum , nihil certi hac in re (quod prius attinet) definiri posse. Ea enim rerum antiquarum est conditio , ut , deficientibus idoneis historiarum monumentis ,

mentis, melius sit tacere, quam tale quid proferre, quod nec probari, nec persuaderi aliis potest. VAR. RO equidem gloriam inventionis Gallis tribuit, cui tamen merito respondet laudatus LIPSIVS de Milit. Rom. L. III. p. 147. *quin ego loricas areas Roma diu reperio ante Gallos notas &c.* PLINIVS L. VII. c. 56. ait, MYDIAS MESSENIVS *invenisse dicitur*; cui assentitur POLYDORVS VERGILIVS de rerum invenitoribus L. II. c. XI. Incertum igitur, quis singularum specierum fuerit autor. a)

## S. VI.

Pergo potius ad declarandam Loricæ unam alteramve *differentiam*. Vbi bene attendi meretur, quomodo in specie differat linea, ne cum aliis propter commune nomen confundi videatur. Datur nempe 1) *lorica hamata* e circulis ferreis sibi invicem implexis effecta, 2) *squamæ*, quæ a squamis piscium vel serpentum 3) Græcis ιώες λεπιδωτος vocabatur, eo

quod

- a) Poterit tamen aliqua probabilitatis specie affirmari, venatores antiquissimis temporibus exuvias ferarum induisse; temporibus succedentibus vero, postquam terræ viscera ferrum dederint, ad horum imitationem ferrea tegumenta corporis varia & hactenus ignota figura elaborasse homines. Non obscuris verbis hoc indicat POLYBIVS L. VI.
- b) aut avium, quæ habent squamas in pedibus, sicut pisces. Et talem fuisse Goliathi loricam I. Sam. XVII, 5. AR. MONTANVS, L. OSIANDER & B. LVTHERVS ex collatione locorum Levit. XI,

9. sq.

quod laminæ æreæ vel ferreæ minores, hamis invicem, in modum squamarum, connectebantur. Ab iisdem laminis, plumarum formam referentibus, 3) *plumata loricæ* suum traxere nomen. a) His non erant dissimiles 4) *cornea* Sarmatarum, draconis squamas vel nucis pineæ speciem repræsentantes. b) Laudatur etiam 5) *lanea*, & 6) *segmentata*, a LIPSIQ de Militia Rom. L. III. Dial. VI. L. IV. Dial. IX. L. V. Dial. XI. & Anab. ad L. III. Dial. III. qui etiam de omnibus his nominatis & aliis pluribus speciebus ex professo egit c), ut Iliada post Homerum scriberem, si prolixius eas recensere vellem. Sufficiat saltem ad differentiam *linea* declarandam eas adduxisse: cuius paulo specialior a nobis nunc habenda erit ratio.

## §. VII.

9. sq. Deut. XIV, 9. 10. Ezech. XXIX, 4. תְּשַׁקֵּח squamam nominantia, dum sermo de piscibus instituitur, probant. Honestiorum autem loricas squameas fuisse testatur LIPSIVS de Re Milit. Rom. L. III. Dial. VI.

- a) Parthis hæc adeo familiaris erat armatura, ut non solum viri, sed equi ea defenserentur ab hostili vi, teste IVSTINO L. XLI. c. II. & SVIDA in voce θύελλη.
- b) Siquidem PAVSANIAS in Atticis auctor est, a Sarmatis curam suscipi plurium equorum, tum bellicis usibus, tum sacrificiis destinatorum: quorum ungulas collectas, dissectasque perforabant, nervis equinis bubulisve consuendas. Vid. DVRRII cit. dissertatio p. 12. §. III.
- c) & segmentatam scalpro figuratam objecit spectatorum oculis loco citato.

## §. VII.

Hoc ut rite recteque fiat , ante omnia funda-  
mentum , seu quibus in locis loricarum lintearum  
mentio facta sit , exponendum erit . Testantur vero  
antiquissimarum rerum scriptores , e quibus LIPSIVS  
l. c. plura jam collegit , hoc loricarum genus a *Græcis* ,  
seorsim *Macedonibus* , *Thracibus* , ab *Hispanis* , *Italis* ,  
imo ab ipsis *Imperatoribus* & *Regibus* fuisse adhibi-  
tum . Vnum ergo alterumve locum in medium  
proferamus .

## §. VIII.

A *Græcis* , seorsim *Macedonibus* initium faciam .  
HOMERO Iliad. β. Ajax Oïlaus dicitur ἀιωθάρης , item-  
que *Adrastrus* . Ad quæ loca PLINIVS respicit L. XIX.  
c. I. cum scribit : *Thoracibus lineis pugnasse* , paucos  
tamen , testis est Homerus . In ALCÆO etiam Poeta  
apud ATHENÆVM θώρηκες νεόλινοι , thoraces e novo  
lino , recensentur . Immo communiter Athenienses ,  
Iphicrate duce , de quo CORNELIVS NEPOS seu  
ÆMILIVS PROBVS inquit : *Genus loricarum muta-  
vit* , εξ pro ferreis atque æneis lineas dedit : quo facto ,  
(en causam ) expeditiores milites reddidit . THVCI-  
DIDES etiam ipso operis initio indicare videtur ,  
Athenienses lineas tunicas gestasse : οὐ πολὺς χρόνος , ait ,  
ἴπειδὴ χτιῶντας τε λίνες ἐπαύσαντο Φορέντες &c . Alias autem ra-  
tus apud Græcos serici , rarus admodum lineæ vestis

B

usus

usus fuit, teste OCTAVIO FERRARIO de re vest. P. II. L. IV. c. XI. insert. Tomo VI. Antiq. Rom. Thesauri I. G. GRÆVII. Gestarunt vero etiam *Macedones*, quorum arma olim erant, DIONE autore in Caracall. θώραξ λινὸς τείμιος, αἵμης χαλκή, i. e. thorax lineus trilix, clypeus areus. Sic Alexander apud PLVTARCHVM θώραξ λινὸν διπλῶν: thoracem lineum bilicem. conf. ARRIANVS de Militia Alex. M. CVRTIVS L. IV, 6. VII, 9. VIII, 2. & IOH. BAPT. CROPHIVS in Antiq. Maced. L. III. c. IV. inf. Tomo VI. Antiq. Gr. IAC. GRONOVII, p. 2918. & 2922.

## §. IX.

*Thracibus* etiam adscribit XENOPHON L. V. Anab. Χτονίσκες ὡς εργάτων, πάχος αἰς λίνῳ σφραγαδέσσις, i. e. tuniculas super genua, crassitie ut linum, quo stragulae vinciuntur. Quo loco etsi præcise loricarum non mentio fiat, sufficit tamen gestasse tuniculas crassitie ut linum, quo stragula vinciuntur. Figura enim ad rem nihil facit, modo lineæ fuerint. Ideoque etiam hic locus sine deliberatione a LIPSIO l. c. fuit adductus, quia tunicae istae vice thoracum fuerunt.

## §. X.

Apud Hispanos etiam hoc loricarum genus fuisse in usu credit LIPSIUS, quando l. c. p. 151. ait: *Cuiusmodi Hispanorum credo fuisse, quo pugna Cannensi* POLY-

POLYBIUS destituit, ἐν λινέσι τειπορφύρως χτονίσκοις: in lineis purpura praetextis tunicis. Quod ipsum ex eo LIVVS. Atque ita de iisdem Hispanis STRABO L. III.  
 Λινοθήρακες οἱ πλείστοι Σπάνιοι δὲ αἰλυσιδωτοῖς χρωμάταις: in linea thorace plerique, pauci hamatis utuntur. Quin etiam Chalibes apud XENOPHONTEM L. IV. Anabas. (atquin ferri ibi copia) in hoc thorace: εἶχον, ait, θεάγκας λινές μεχεὶ τὰ πόδες: *Habebant loricas linteas ad imum ventrem usque.*

## §. XI.

In Italia quoque loricas linteas habuisse testatur LIPSIVS l. c. Et LIVVS Augustum legisse asserit in thorace linteo scriptum, de Cossi opimis spoliis. Qui vetus fuerit oportet & ab illo ævo. SILIVS etiam populariter Faliscos ita armat:

*Indutosque simul gentilia lina Faliscos.*

Meminit & alibi:

— — — levum qua tegmine thorax  
*Multiplicis lini claudit latus.*

Adducitur etiam plerumque locus LJVII ex L. X. H. R. Dec. I. ubi de Samnitibus dicit: *Prioribus Samnitum ea detestatione obstrictis, decem nominati ab Imperatore, eis edictum, ut vir virum legerent; donec sexdecim millium numerum confecissent. Ea LEGIO LINTEATA ab integumento concepti, quo sacrata nobilitas*

tas erat, appellata est, his arma insignia data & cri-  
stata galea, ut inter ceteras emineret. Magna circa  
hunc locum Criticorum lis est. Fuerunt enim multi,  
qui, hunc locum explicantes, dixerunt, *legionem lin-*  
*teatam dictam eo*, quod lineis loricis armarentur.  
In hunc sensum SIDONIVS APOLLINARIS scribit  
L. VIII. ad Leonem: *Linteatum dici, veste seu alio te-*  
*gumento linteo induitum.* Alii contra non ita intelli-  
gendum esse locum citatum volunt, ac si tot lintei  
thoraces Samnitibus fuissent, ut sexdecimi millia  
ipsorum illis armari potuissent, sed appellatam lin-  
teatam legionem a Livio vult FESTVS POMPEIVS  
L. X. quod *Samnites singuli ad aram velis linteis cir-*  
*cumdatam, se non cessuros Romano militi juraverant.*  
vid. MARCELLI DONATI dilucid. in T. Livium,  
collectæ a IANO GRVTERO in thesauri critici To-  
mo VI. p. 21. Quamvis igitur posteriorem senten-  
tiam priori longe anteferendam facile concedam,  
interim tamen Festum Pompejum in eo a textu ab-  
errasse judico, quia Samnites ad aram velis linteis  
circumdatam, se non cessuros Romano militi jurasse,  
crediderat, cum saltē ab *integumento CONSEPTI*  
dicantur, h. e. septo aut muro includebantur, qui  
postea integumento circumdabatur, quo symbolo  
illis quasi injungebatur, ut, sicuti septum hocce illos  
unitos teneret, ita coram hostibus starent conjunctis  
viribus,

viribus, secundum illud: *Vnita vis fortior.* Hoc etiam ab illis postmodum juramento confirmatum esse admodum credibile mihi videtur.

## S. XII.

Ipsos denique Imperatores atque Reges has loricas, ut munimentum corporis firmissimum, valde aestimasse constat. Sic LIVIVS & SVETONIVS Augustum *lorica sub veste munitum fuisse* tradunt, & de Imperatore Galba SVETONIVS L. VII. p. 582. ex edit. Grævii 1691. H. C. dicit: *Loricam tamen induit linteum, quanquam haud dissimulans parum adversus tot mucrones profuturam.* DION etiam in Caracalla meminit, *eum imperatorem instituisse genus militum, quos Alexandrinos appellari: eos thorace ex triplici lino usos esse.* Porro apud XENOPHONTEM in Pædia Cyri L. VI. legitur: *Abrades, Rex Susorum, induebatur thorace lineo, more patrio.* Celebratur quoque *Amasis, Ægyptiorum Regis, linteus thorax* ab HERODOTO L. III. de quo PLINIVS L. XIX. c. I. inquit: *Mirentur hoc ignorantes, Ægyptii quondam Regis, quem Amasin vocant, thoracem in Rhodiorum insula ostendi in templo Minervæ, 365 filis singula fila constantem.* Ita LIVIVS L. IV. c. 20. meminit thoracis linei a Cosso, interfecto Tolumnio, adempto, ac in templo Jovis Feretrii sacrato. Hæc

B 3

potiora

potiora sunt exempla, quæ ex LIPSIО & fontibus  
ipsis colligere & addere placuit. Plura adduci po-  
tuisse non nego; sed cum ex his paucis rei veritas  
pateat, neque oratio pro instituti ratione texatur lon-  
gior, pergendum ad diversas eruditorum opiniones  
seu commentationes in dicta loca, ut videamus, quæ  
hactenus multorum animos opinio traxerit; judica-  
turi deinde, quid veritati magis consentaneum vi-  
debitur.

#### §. XIII.

Commodissime autem, quicquid hactenus mihi  
innotuit, ad tres classes revocatur. Prima continet  
eorum sententiam, qui lineas chlamydes bombyce,  
*spongia, lanaque minutatim dissecta, ad instar culcitrae*  
*fartas esse credunt.* Ita cum aliis vult TITIVS in  
controversiis. Sed eum merito magnus Antagonista  
VILLIOMARVS reprehendit, primo, quod chla-  
mydes cum tunicis confundit: deinde, quod pue-  
rili errore bombycem, quod erat sericum, pro goffsi-  
pio, quod Itali *bambaggio* vocant, posuerit. Et quare  
*lineum* diceretur, quod tamen ex alia materia con-  
fectum erat.

#### §. XIV.

Secunda classis CASAVBONI & SALMASII  
commentationes comprehendit, qui thoraces seu lo-  
ricas

ricas opera atque artificio coactiliariorum ἐγ<sup>τ</sup> ποιοῦσιν,  
qui linum aceto vel austero vino, cui sal esset adiectum,  
probe macerabant, fuisse factas existimauit. Sic enim  
CASAVBONVS in notis ad Sueton. L. VII. Imp. Gal-  
ba p. 582. ait : *Linteis sive lineis loricis pro thoracibus  
esse usos veteres, norunt omnes; sed quomodo illa fierent,  
εγ<sup>τ</sup> qua ratione linum ita induresceret, ut etiam ferro  
resisteret, hoc non norunt omnes.* Fiebant autem linei  
thoraces opera atque artificio coactiliariorum ἐγ<sup>τ</sup> ποιοῦ-  
σιν, qui linum aceto vel austero vino, cui sal esset ad-  
iectum, probe macerabant; deinde ita cogebant, ut soli-  
ditatem ac crassitatem linteis octies, decies aut sapius in  
se complicati haberet. Probat hanc suam sententiam  
ex NICET. ACOMINATI Libro I. rerum Isaaci An-  
geli, cuius verba latina tantum apponamus : *Ipse  
Conradus, ait, sine scuto tunc dimicabat; sed pro lorica  
textum quoddam gestabat, e lino factum, vino austero  
probe salito maceratum, sapius replicatum: quod qui-  
dem sale εγ<sup>τ</sup> vino coactum adeo firmum adversus ictus  
erat, ut penetrari a nullo telo posset. Erant autem hu-  
ius texti plagella octodecim εγ<sup>τ</sup> eo plures.* SALMASIVS  
in Plinianis Exercit. in Caji Julii Solini Polyhist. T. I.  
p. 346. non parum ab hac sententia recedit, ita tamen,  
ut circa materiam ipse secum non convenire videatur.  
Verba ejus ita sonant : *Ex lana coactili εγ<sup>τ</sup> centonibus  
tunicas ac tegmenta sibi parabant milites ad tela vi-  
tanda.*

tanda. Πιλητὰς θώρακας Græci vocabant. Θωρακονάκτες recentiores dixerunt, hoc est, vancrācē θώρακας. Nam vancrācē πιλητὰ eadem. Vnde ἐς vancrācē, falso. Nam centones ex lana erant coadūta, qui non sotum ferro, sed igni resistebant. Porro Tom. II. p. 702. l. c. ait: Indorum linea vestes texabantur ex arborum lana (h. e. lanugine) nec aliud apud Indos linum. Notetur tamen, quod lana illa arborum etiam linum dicta sit. Falsus igitur MELA, cum scripsit, Indorum alios lino vestiri, alios lana, quam sylvæ ferunt. Recentiores commentatores, uti hactenus observavi, vel Casaubonum vel Salmasium sequuntur, ut illos adducere non opus esse videatur.

### §. XV.

Ad tertiam classem eos referto, qui thoracem lineum a loricis non nisi materia diuersum fuisse judicant, quod illæ essent annulis & catenulis æneis consertæ, haec autem ex torulis trilicibus, quadrilicibus aut bilicibus &c. Eximius hujus rei testis est HERODOTVS Lib. III. cap. 47. "Εορτα, inquit, μὲν λίνεον καὶ ζώων ἐνυφασμένων συχνῶν πεκοτημένου δὲ χρυσῷ, καὶ αἰρεῖσθαι ἀπὸ ξύλου τῷ δὲ εἴναι θωρακός αἴγιος αἴρετόν τε θώρηκος. ποιεῖ εἶτα γαρ δεπή ἔχει αἴρετόν τε εὐηκοσίας καὶ εἴρηκοντα πάσας φαρεγγίς, h. e. Lineum ex xylo, & frequentibus animalibus intertextis, ornatum vero auro & lanis, (a) propterea admiratione dignum faciunt, singula thoracis fila, quæ cum exilia sint, habent tamen singula in se tricena sexagena fila omnia conspicua. OCT. FERRARIUS de re vestiaria P. II. Lib.

### IV.

(a) De qua textura ex instituto egit SALMASIUS in Vopiscum p. 511. edit. Paris.

IV. c. XI. thoracem ligneum nonnisi materia diversum fuisse credit, quod illæ essent annulis & catenulis æneis consertæ, hæ autem ex torulis trilicibus, quadrilicibus aut bilicibus. *Toros* appellat funiculos ex multis filis tortos, qui propterea a numero dicebantur bilices & trilices: qui deinde tori inter se filis conserebantur, & firmissimum opus præstabant, ut exemplum Amasis Ægyptiorum Regis confirmat, cuius lorica filis contexta, quorum singula trecentis sexaginta quinque filis constarent. Quin idem in cassium descriptione, stamna singula, centenis quinquagenis filis constare ait, vocatque *stamina*, quæ alii *toros*, græci βέργες in restibus. *Filia* autem, ex quibus stamna illa sive tori constabant, licia etiam vocata docere loricas bilices ac trilices apud VIRGILIVM. Hæc SCALIGER de loriciis linteis. Nemo ergo lineas tunicas, porro ait FERRARIUS, mirabitur pro armatura gestatas, nisi qui in veterum scriptis plane peregrinatur. At Casaubonus ad Suetonium diversa ratione hujusmodi thoraces linteos factos credit. Verisimilior tamen Scaligeri opinio est, propter loricas bilices, trilices, quæ in coactilibus locum habere non poterant. His illustrè testimonium IOH. SCHEFFERI addo, qui *de antiquorum torquibus* cap. IV. inf. Tomo XIII. Thes. Antiq. Rom. I. G. GRÆVII p. 917. ait: *Quid est trilix lorica? quæ constat ex loris tribus in unum funem contortis & consertis*

consertis hamis, quomodo hodie Germani Zwillich / Trillich appellamus, vestem non ex singulis, ut sit vulgo, sed duplicibus triplicibusque filis in unum contortis textam. Fuerunt ergo tortes veteres vere tortæ ex uno pluribusque filis, habueruntque suos non quidem discretos, verum serie continua jundos annulos, in quo a catenis vulgo dictis differebant. Reliquorum aniles fabulas lubens prudensque prætereo, an vero alii meliora protulerint non liquet.

## §. XVI.

Restat, ut quod caput rei est, exponam. Ita vero nunc progrediar, ut universam tractationem ad quatuor ista momenta revocem, quænam 1) fuerit loricarum materia? 2) quæ ratio conficiendi? 3) an insignem usum habuerint? & 4) an non nostro ævo cum fructu adhiberi possint.

## §. XVII.

Pleniores itaque historiam consignaturus, materia primum, ex qua hoc genus loricarum fuerit confectum, commemoranda venit. Non dubito autem fore multos, qui hunc laborem irritum & supervacaneum judicent, cum ex adjecto prædicato, quo linteas vocavi, unusquisque genuinum materiæ conceptum sibi formare possit. Verum enim vero antiquitatis æstimatorum rectius mitiusque sentient, quando *varias extitisse lini species*, & unam altera præstantiorem fuisse secum reputabunt. Sic refert GRONOIVS Tom. IV. Antiq. Grac. p. 239. de lino *Carpasio*, quod igne non consumatur. PLINIVS

## L. XIX.

L. XIX. c. I. Asbestinum genū lini esse, quod igne non absumentur, affirmat. SALMASIVS in Exercitationibus Plinianis in Caji Iulii Solini Polyb. T. II. p. 702. ex vero scribit: Indorum lineaē vestes texebantur ex arborum lana (h.e. Gossypio) nec aliud apud Indos linum. Lectu etiam sunt dignissima, quae GVIDO PANCIROLLVS, libris duobus de rebus memorabilibus jam olim deperditis, & contra recens atque ingeniose inventis, de Asbestino, Byso, Carpasio erudite conscripsit L. I. p. 23-32. Quae igitur nunc materiæ conditio? Ego pro mea tenuitate eam apodictice definire non sustineo, si tamen, quando firmiora desunt argumenta, conjecturæ locus est, admodum mihi probabile videtur, alias saltem loricarum linterarum ex Asbestino vel lino Carpasio fuisse compositas, dum relatum legimus, eas & igni & ferro restitisse, ita, ut materiæ præstantia effectus hujus mirabilis causa extiterit. Interim tamen negare nolo, nonnullas gentes etiam adhibuisse *linum commune*, ex quo alias vestes contextas habebant, præsertim cum non de omnibus loricis, quod similem effectum habuerint, id ostendi, neque etiam veram Asbesti & Carpasi præparationem, quæ vero quam maxime requirebatur, ad omnium notitiam venisse, idoneis argumentis probari possit.

## §. XVIII.

Exposita materiæ nobilitate ad alterum disceptandum  
C<sub>2</sub> 21galls mūl adistionis

tionis nostræ momentum pergam, quod modum conficiendi loricas concernit. Certe hoc quæsitum illud est, quod plurimis commentatoribus multum hactenus negotii fecit. Hanc ob causam saepius citatus LIPSIVS multa de loricis differens L. III. de Milit. Rom. p. 153. lectores suos quasi ad ulteriore investigationem mirabundus allicit, quando dicit: *Mirus ille thorax (scil. linteus) & conficiendi ratio cur periit? requiri deberet, & fortasse posset ex iis, quæ Nicetas scribit.* a) Quapropter eruditissimi viri partim proprio conatu, partim aliorum industria instigati, omnem navarunt operam, ut fere deperditam artem integrum restituerent, quarum sententias supra ad tres potissimum revocavi classem. b) Meum nunc erit modeste illas expendere.

## §. XIX.

Prima fuit TITII omnium minime rei conveniens, quod recte jam VILLIOMARVS observavit, c) ut adeo plura addere non sit opus. Confundit enim chlamydes cum tunicis, & bombycem pro gossypio ponit, quæ omnia a lino diversissima sunt.

## §. XX.

Altera sententia est illorum, qui loricas opera & artificio coactiliorum & αιλοποιῶν, qui linum aceto vel austero

a) Verba sunt allegata §. 14. b) supra §. 13. c) vid. §. 13.

austero vino, cui sal esset adiectum, probe macerabant, fuisse elaboratas crediderunt. Et hujus sententiae autor CASAVBONVS est, a) qui etiam in operibus suis p. 1803. porro ait: Non solum ipsum per se acetum ignem restinguat, sed etiam aceto illata aut in eo mactrata ignem respuunt. Idcirco Vitruvius & Hero Mechanicus coria, quibus Machina circa teguntur, paleis iubent sarciri in aceto maceratis. Plura alia exempla l.c. videantur. PLINIVS L. VII. c. 48. ait: Lana per se coacta vestem faciunt, & si addatur acetum, etiam ferro resistunt. Sic nempe eam aceto vim tribuit, quam NICETAS vino austero, nisi & acetum ipse intellexit.

## §. XXI.

Fateor, cum haec & similia legisset, me valde dubitasse, an ignis peculiari quadam virtute per acetum restinguiri possit, & sal atque acetum spiculis suis acidis corpora crassiora faciant; sed cum ipse ad modum præscriptum in panno communi lineo periculum facerem, illumque aceto atque sale probe maceratum liberiori aeri exponerem, quo facilius exsiccaretur, propria summedoctus experientia, & duriorum illum & spissiorem evasisse, CASAVBONI proinde sententiam, illorumque qui cum eo faciunt,

C 3

non

a) Vid. §. 14. ipsa verba Casauboni.

non omni destitui fundamento. *Sal* enim habet particulas rigidiores, plurimis angulis instructas, & ex omnium Chemicorum sententia principium firmitatis est. Ita scimus sale nitroso vel ammoniaco ferrum solere indurari, ideoque quosdam artifices (quod a viro doctissimo accepisse se testatur HAMMELIVS) ferrum una cum fuligine, sale communi, equi ungulis & urina argillæ involvere, diutiusque in igne detinere, cuncto defactum autem statim aqua frigida extinguere; quo casu summam duritatem consequatur. Videmus porro vim salis in indurandis carnibus infumatis, a) ut adeo quoad hanc partem sententia Casauboni hactenus defendi possit. *Acetum* quod attinet, gaudet etiam particulis rigidis & ex omni parte figuræ maxime tetraedricæ, quæ si cum spiculis salinis in meatus lini aliorumque corporum invehantur, & cuneorum instar adigantur, duritatem ac soliditatem procurant. Cui si accedat lini ita macerati multiplex compactio & compressio per artificum machinas & instrumenta, non dubium est, quin corpus perquam firmum ac solidum ferro & igni resistens exsurgat; quandoquidem notum est, vel solam coactiliariorum operam in pannis illis, qui vulgo *Filii* vocantur, mira præstare.

§. XXII.

a) Vid. STVRMIVS in *Phys. Hypoth.* p. 535. *Phys. Eoret.* p. 155. & BOYLEVS P. II. Sect. XLIV. Hist. Fluid. & Firm.

## §. XXII.

Si vero quis nobis opponat injuriam humidæ tempestatis, qua militibus etiam dimicandum erat, quaque facile potuerit evenire, ut firmitas ab acetō atque sale orta per repentinā & præcipites pluvias maximopere collabeficeret; *huic respondemus*: potuit huic malo caveri per exterius superinductum panum, aut *linteum simplex ceratum vel oleo imbutum*, quod omnem ab ingressu ad interiora humorem arret. Accedit etiam, crassitiem lini saepius replicati id non permisisse: nam in loco NICETÆ, supra allegato, hujus texti plagellas octodecim & eo plures fuisse legimus, ut adeo ingressio aquæ non timenda, neque experientiæ refragentur, quæ erudite CASAV-BONVS conjectit. a)

## §. XXIII.

Tertia denique sententia omnium optima esse videtur, quæ ex torulis trilicibus, quadrilicibus aut bilicibus loricas linteas fuisse confessas afferit. b) Nam id constat, ejusmodi opus non potuisse non firmissimum fieri, si tam multa fila primum seorsim inter se

a) Ostendi haec tenus, quibus rationibus forsitan fuerit inductus Caubonus, ut acetum & sal tantæ firmitatis causam agnoverit. Interim tamen vera hæc linteorum loriarum præparatio minime fuit, ut ex sequentibus clarius patebit.

b) Vid. §. 15. supra.

se contorquerentur & complicarentur ; deinde demum ex his diversimode complicatis textura conficeretur , quæ & firmitate & levitate reliquis omnibus præstaret . Nec 2) dubitare nos de hoc invento singularis peritia linteonum a) permittit , qui omni studio , opera , diligentia , mente denique omni in id incubuerunt , ut tantæ virtutis linum perficerent , & magis magisque hac arte excellerent . Testatur in hujus rei documentum H. C. HENNINVS in notis ad Bergierii L. IV. insert. Tomo X. Antiq. Rom. I. G. GRÆVII integrum *collegium linteorum* (ut hodie fere solent esse societates pictorum) fuisse , & *codex Theodosianus* IACOBI GOTHOFREDI Tom. III. p. 509. expressis docet verbis , quod *linteones* in usus vestis militaris fuerint adhibiti , hisque linteonibus nonnulli præerant , qui procuratores *liniforum* dicebantur , conf. TH. REINESII *syntagma inscriptionum antiqu.* p. 629. & 686. Provoco 3) ad quotidianam experientiam , quæ docet , *tapetum* artifices tantæ crassitiei sæpius fecisse peristromata , ut glans plumbea vi explosa mirifice sit repercussa . Imo Poloni ad hunc usque diem ex serico tale vestimentum construere sciunt , quo induito , omnes insultus , alias maxime lethi-

a) *Linteones* erant , qui linta texerent ; *Lintearii* , qui venderent . Vid. STEWECH. L. I. c. VII. ad Veget. GRÆVIVS *Antiq. Rom.* T. VII. p. 1534.

lethiferos sperniunt. Denique hæc omnia egregie confirmant, quæ Magnis. Dn. D. RINKIVS, Patronus noster suspiciendus, de *Cive Carneoburgensi* mihi aliquando commemoravit, quod ex sæpius complicata charta composuerit corporis tegumentum, omnes ictus repercutiens; unde certe rectissime a minori ad majus, nempe lorias bilices, trilices &c. poterit quis argumentari.

#### §. XXIV.

Cum igitur hæc tenus dicta tam clara & manifesta sint, ut manibus quasi palpari queant, ac demonstratione ulteriori haud indigeant, quæritur nunc: an loriae linteæ usum in bellis habuerint? PAVSANIAS L. I. c. 19. magis venantibus, quam pugnantibus lorias istas commendat: οἱ θάρεοις, inquit, οἱ λινοὶ μαχομένοι μὲν ἐχ ὄμοιως εἰσὶ γενόμενοι. Διτάσι γὰρ καὶ βιαζόμενοι τὸν σῶμα, θηρέουνται δὲ αὐτελέσσι, ἐπαποχλεύται γὰρ σφίσι καὶ λεόντων ὀδόντες καὶ παρδάλεων, h. e. Loricae linteæ pugnantibus non aque utiles. Transmittunt enim ferrum vehementius percussi: venantibus autem prosunt. Retunduntur enim in iis leonum dentes & pantherarum. Verum enim vero hæc verba tantam sibi minime conciliant autoritatem, ut iis subscribamus. Ut enim taceam unius viri testimonium tot loca contraria minime ievertere, patet ex præcedentibus & locis ibi

D

allega-

allegatis fere omnibus, 1) munitos fuisse milites loricis lineis & expeditiores redditos ; 2) vim ferro & igni resistendi habuisse passim legitur ; 3) vix credibile omnium cum applausu fuisse adhibitum & approbatum hoc loricarum genus , nisi præstantius reliquis deprehensum fuisset , & insignem in bellis habuisse utilitatem. Ceterum PAVSANIÆ verba nihil aliud probant, quam quod prisca quædam confiendi ratio & ipsi cognita , ita fuerit comparata, ut non omnem ferri acuti vim ac violentiam superaret.

#### §. XXV.

Altioris contra indaginis expedienda quæstio videtur: *Annon lorica linteæ cum utilitate nostro ævo adhiberi possint ?* Respondemus 1) possent quidem commendari , si nobis prius antiqua earum confiendi ratio , *quoad omnia artis compendia* satis clare nota esset. 2) Si vel maxime omnia clara & explorata essent, admodum tamen preciosæ mihi videntur ejusmodi loricæ , adeo , ut dubitem, an tota legio tali armatura possit exornari. Interim tamen cum illis non facio , qui omnes plane lorias hodie rejiciunt, ex his fundamentis : 1) quod impetus globulorum , etiamsi corpus ipsum non penetrant , tamen cum maxima membrorum corporis humani contusione fiat , qua æque inhabilis ad dimicandum reddi-

redditur miles, ac si vita sua esset privatus ; 2) dicunt, strenuus atque animosus miles , quando ipsi cum hoste conflictandum est, non habet rationem loricæ ferreæ, multo minus lineæ aut coriæ, dum non omnium glandularum ignitarum eandem esse vim credit, secundum commune proverbium : Es treffen nicht alle Rügeln ; & libertatem patriæ vitæ anteponendam gloriæ sibi dicit. Sed ad primam *respondemus* objectionem, quod de *loricis ferreis* id quidem posset concedi, de *lineis* vero minime, ob singularem, qua gaudent, crassitatem & aliqualem elaterem. Secunda objectio in tantum valet, in quantum quis plane nullam vitæ suæ rationem atque curam habet, & non nisi levem , non dicam dissolutum animum hominis ita gloriantis prodit. Vita enim non est nostræ potestatis, ut cum possit servari, *ex imaginaria ista magnanimitate abbrevietur*. 2) Longior vitæ ætas bellicosi militis ampliorem usum præstat in bello. 3) Officium etiam boni ducis id requirit, ut strenuum militem conservet quovis modo. Conf. PV. FENDORFIVS de *Iure Nat. & Gent.* L. II. c. IV. §. 17. qua solide inquirit : *an & quousque homini aliqua potestas in propriam vitam competit, ad eam vel periculo ancipiti ultro exponendam, vel lentis viis atterendam, vel denique violento modo abrumpendam.* Non incommode autem mihi nunc in mentem venit,

anon lorica, elatere quodam gaudentes, violentia externa satis resistentes, preparari possent? Ego de felici successu non dubito; quapropter meas cum Lectore benevolo communicabo cogitationes.

## §. XXVI.

Sumatur *corium* paulo crassius, quale est cervinum vel alcis, a) de quo, quod globulis sclopetorum & aciei gladiorum transitum prohibeat, vulgo creditur, & saepius experientia confirmatum legitur. Posteaquam igitur ad formam pectoris humani, ut alia lorica fuerit exsectum, affigantur ipsi firmiter *fila ferrea* plurima spirali modo in *coni formam flexa*, (fig. I.) interstitia vero reliqua *lana* (fig. II.) aut alia materia simili b) effarciantur, & haec omnia denique novo obducantur *corio*, (fig. III.) sicque habebimus loricas corpus optime munientes. c)

## §. XXVII.

a) Sic teste OLAO MAGNO Lib. II. c. XIV. Finni septentrionales solent coria alcium jubata aquis superfluis congelata ad corporum munitionem adhibere.

b) v. g. Von gesottenen Kosshaaren.

c) quoad anteriorem partem. Et certe conveniens haec est militi fortis armatura, qui tergo nunquam metuit, maxima constantia in adversum hostem pugnaturus. In quam fiduciam animos suorum erigere vult magnus Macedonum Rex Alexander, qui semithoraces suis militibus dedit pro thoracibus, ut, si mansissent, securitatem ac munitionem haberent, anterioribus partibus occultatis; si fugissent, aversa hostibus nuda paterent, ut est apud POLYANVM L. IV. Strat. in Alexandro f. 13. Addi his meretur non ita pretiosus quidem,

## §. XXVII.

Ad hunc fere modum insignis ille, & post fata celeberrimus Mathematicus E. WEIGELIVS inter alia multa tanquam inventum suum reliquit *culturas, lectos, ephippia.* (fig. IV.) Videmus etiam in bellis, ac præcipue in oppugnationibus urbium, saccos ejusmodi rebus effarctos, globorum ex tormentis, maximæ licet magnitudinis, explosorum vim

D 3                    infrin-

dem, sed ad defendendum corpus, illudque ab ictibus gladiorum muniendum satis idoneus conficiendi pectoralia modus. Quæ lorica ut eo rectius ad mentem nostram elaboretur, placet propter occurrentes terminos technicos varios, totum artificium Germanicis exprimere verbis. Man kauffe 4. recht grosse gegossene Pappendeckel, und schneide solche vor allen Dingen nach seinem Leib, daß einer auf den andern sich schicke, und ich sie alle vier übereinander wie ein Bruststück anlegen kan. Wann dieses geschehen, so werden sie alle auseinander gelegt, und der unterste, der immediate auf den Leib kommt, mit rothen oder anderen Tuch gefüldert: als dann wird er über einen hölzernen Stock, der so dick als mein Leib ist, gespannet, und die Seiten von aussen mit Leim oder Buchbinders Pappe überschrieben. Ist dieses vollzogen, so streuet man auf den Pappe gestossen Ziegelmeel, und läßt es trucken werden, damit ich über das Ziegelmeel wieder Leim oder Pappe streichen, und den andern Pappendeckel darauf kleben kan. So bald es trucken, muß ich diese 2. Deckel, so hart es seyn kan, mit einem Hammer schlagen, daß sich das Ziegelmeel in den Pappendeckel eintringen kan. Und so verfahre ich, bis die 4. Deckel aufeinander sind: es muß aber allezeit zwischen 2. Deckel das Ziegelmeel kommen, und geschlagen werden. Wann nunmehr alles fertiget, so lässt man den äußern Theil auch mit Tuch überziehen, rings umher mit Leider einfassen, und bedient sich dessen, so oft es nothig ist. Ad hunc modum ipse tale pectorale feci, & quod variis in casibus cum utilitate possit adhiberi sum expertus. Transire enim gladium & corpus Iedere non permittit, gladiatoribus insiginem præstat usum, & globulos minores sclopetorum repellit.

infringere & irritam reddere, vid. G. C. STAHLIVS  
 in *Architectura sua militari* P. III. c. 17. p. 248. Ex eo-  
 dem fundamento inventæ sunt hodie vestes, quæ ta-  
 libus repletæ, corpus a vi gladiorum ac globulorum  
 ex sclopetis explosorum præservant ac defendunt.  
 Hinc B. HAMBERGERVS in diff. phys. de Elatere a)  
 de his vestibus ita judicat: *Nec dubium est, easdem, quod*  
*& levitate & aliis commodis præ cataphractis se commendent, no-*  
*tiores fore & frequentius in usum vocatum iri, nisi premium earum*  
*nimum excurreret.* Conficiuntur nempe ex serico firmioris con-  
*fidentia & gossypio ad eundem fere modum, quo fasciæ pectorales*  
*apud nos solent.* In hoc solummodo differunt, quod, cum hæc rario-  
*res sint ac tenuiores, istæ crassitudine ac firmitate easdem multoties*  
*superent.* Nihil tamen obstare videamus, quo minus ex aliis etiam  
*rebus, v. g. lino firmiori vel xylino, loco serici recepto, confieri pos-*  
*sint, si quis id tentare velit.* Ratio igitur generalis, cur  
 ejusmodi vestes & loricæ simili modo confectæ ir-  
 ruenti globo nihil cedant, hæc est, *quod impetus a*  
*crescente successiva renitentia tantum debilitatur, ut,*  
 antequam corpus ad eas angustias est redactum, in  
 quibus, ob ulterioris compressionis defectum, furor  
 ejus succumbere deberet, maximam lædendi vim jam  
 perdiderit. Causas vero specialiores *de vi elastica co-*  
*rii, lana & filorum ferreorum in medium nunc pro-*  
*ferre nolo, quia peculiarem id requireret pertracta-*

tionem

a) CHRIST. WEDELIVM verum autorem hujus dissertationis esse,  
 non solum adjecta Dn. Præsidis Epistola testatur, sed multorum ami-  
 corum testimoniis confirmatum habeo.

tionem de *Elatere*, & summa eruditione jamjam sit  
præstitum ab autore laudatæ dissertationis.

§. XXVIII.


Dum vero lanam inter requisita loricæ retulerim,  
non possum non citare, quæ LIPSIUS de loricis laneis  
l. c. p. 152. tradit: *E lana etiam eiusmodi coactiles tho-*  
*races reperio, ut in SVIDA, e scriptore veteri:* Φοργοὶ δὲ  
ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς θιέσιν παιδιτάς, ὡς τὰ κύτη σπάρχουσι σερπίδα  
τὴν χειρόπτυτα τῶν πιλημάτων: h. e. ferunt in capitibus thoraces  
**COACTILES**, quorum sinuatio firma & stabilis manet, ob  
bonitatem coactilium. Video & Cesaris & vo in usu fuisse,  
etsi fortasse non tam probas, scribit de suis in metu ho-  
stilium sagittarum: omnes fere milites aut ex sub-  
coactis aut ex centonibus tunicas aut tegmenta fecerant,  
quibus tela vitarent. Imo pergit LIPSIUS: annon  
tale aliquid spongia Samnitum in Livio? Spongia in-  
quit pectori tegumentum, ita, ut his verbis loris  
spongiosas, quæ eandem certe vim elasticam habent,  
commendare videatur. Sed monendum est de his  
loricis spongiosis, quod minime mihi placeant,  
1) quia enormiter crassæ fieri deberent, si adversus  
ictum gladiorum ac sclopetorum essent valituras;  
2) timendum, ne illis, qui eas gerunt, idem eveniat,  
quod Thaletis asinus non sine summa molestia est  
expertus.

§. XXIX.


## §. XXIX.

Hæc sunt L. B. quæ ad illustrationem tam nobilis & hactenus obscuræ materiæ facere possunt. Si in veterum scriptorum monumentis eruendis atque congerendis judicium non ubique attuli , veniam dabis & meliora nos docebis. Satis interim ex his elucet, quid sententia de Loriciis linteis partim veri partim falsi in se contineat. Poteris ex diversis ad ductis eruditorum opinionibus facile colligere, quod, et si nihil certi habere videantur , tamen in eo uno ore omnes convenient , fuisse olim in usu ejusmodi loriarum genus. Nostrum quod attinet inventum , ita comparatum est, ut quis tentet, & , in quantum valeat, experiatur. Nihil igitur ad finem laboris mihi expeto, quam æquum judicium lectoris , quod si fuero consecutus , voti mei sum. mam me contigisse arbitrabor.

T A N T V M .



XXX.





## S. XXIX.

Hæc sunt L. B. quæ ad illustrationem tam nobilis & haec tenus obscuræ materiæ facere possunt. Si in veterum scriptorum monumentis eruendis atque congerendis judicium non ubique attuli, veniam dabis & meliora nos docebis. Satis interim ex his elucet, quid sententia de Loricis linteis partim veri partim falsi in se contineat. Poteris ex diversis adductis eruditorum opinionibus facile colligere, quod, etsi nihil certi habere videantur, tamen in eo uno ore omnes convenient, fuisse olim in usu ejusmodi loricarum genus. Nostrum quod attinet inventum, ita comparatum est, ut quis tentet, & , in quantum valeat, experiatur. Nihil igitur ad finem laboris mihi expeto, quam æquum judicium lectoris, quod si fuero consecutus, voti mei sum. mam me contigisse arbitrabor.

TANTVM.

